



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus XXVII. De Restitutione rei alienæ. Palàm sit, in quos casses
inciderit Anima, quæ alienum abstulit, cùm salutem consequi nulla ratione
possit, quisquis illud non vult reddere; reddere autem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

DISCURSUS XXVII.

De Restitutione rei alienæ.

Res aliena, antequam auferatur, lapida quædam esca est; cum possidetur, in laqueum mutatur. Ita monet Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli. Cacodæmon, peritus ille Auceps, escam proponit cum illiæ insidiosæ suggestionis, quæ dicit: aufer eam; & postmodum ostendit, quod, quæ esca apparebat, esca esse desinat, & evadat rete; siquidem cum anima incauta, suæque nobilitatis conditionem oblita ad terram se demittit, ac illicis ad furandum invitantibus consentit, illico Cacodæmon eamprehendit, eamque ita tenaciter stringit; ut nec vivam, nec mortuam dimitat. Non vivam, cum eam ob culpam contractam habeat in potestate; non mortuam; utpote in quam damnationi subjectam longè plus juris habeat. Omiserum igitur Christianum illum, qui ad instar stultæ aviculæ amore rei alienæ inescatur, & aliena rapiendi cupidine attractus se laqueis induit! Considero ego Animam illius geminâ quasi impossibilitate involutam, quæ magnum mihi horrorem incutiunt. Unâ, quæ absoutè talis est, alterâ quæ moraliter. Nulla*

ratione fieri potest, ut, qui malè possessa restituere non vult, salvus sit. En primam: summè difficile est, & quod vix unquam audirum sit, ut, qui malè aliena possidet, velit restituere; en impossibilitatem alteram. Attendite, ut salvari horrore percussi ab iniquis lucris desistatis; quæ Pomum vobis porrigunt, & Cælum auferunt.

II.

II. Videri non nemini possem tempus perdere, cum demonstrare aggredior, quod Restitutio rei alienæ sit ad salutem necessaria. At non perdo: cum multorum hoc tempore Christianorum ignorantia demonstrationem veritatis hujus, quæ omnibus ceteroquin deberet esse notissima, omnino extorqueat. Non desunt, qui sibi persuadeant, Restitutionem esse penitentiam à Confessario injunctam, atque aded in Confessario esse potestate, illam diminuere, dividere, ac omnino tollere. Non ita se res habet. Restitutio actus quidam indispensabilis Justitiæ est, lege Dei præcepta, ut per eam Injuriam proximo illata resarciantur. Ex hoc facile innotescunt rationes, quibus impulsus Deus præcepit ablata restitui. Suntque duæ præcipuæ; una Amor, quo Deus in Justitiam fertur; altera Amor; quo hominem complectitur.

III, In-

III. Inprimis Amor Justitiæ facit, ut DEUS restitutionem præcipiat. Quid enim aliud facit, qui in rem alienam involat, nisi, quodd pulchrum rerum ordinem invertat? Quando Deus in promulgatione legis suæ furum vetuit: *Non furtum facies*: statuit, ut eodem ipso tempore Creatura suo Legislatori subjecta, Proximo verò suo conjuncta esset atque unita; Legislatori quidem subjecta per obedientiam, Proximo verò unita per charitatem. Jam bonum istum ordinem iniquè subvertit, qui rem non suam vult suam facere. Quod primum attingit, utique Deus supremus rerum omnium Dominus est, qui secundum liberrimam voluntatem eas & hinc & illi, prout libet, distribuit? An non ergo, qui pro arbitrio suo de illis etiam à Deo veritis bonis disponit, sibi vult arrogare jus & Dominum bonorum, quod solius Dei est? Hoc autem est supremam velle jurisdictionem turbare, audacissimo profusus molimine, & Dominum directum sibi arrogare contra supremi Domini voluntatem. Quod attingit secundum, quis non videt, quodd qui aliena rapit, illico à suo proximo avellatur; quem tamen ipsi & natura, & Gratia, quantum fieri potest, arctissime unitum voluit? Alteri ne feceris, quod non vis factum tibi, ait lex naturæ cordibus nostris inscripta: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Et tamen homo rapax neglectis his tam sonoris vocibus o-

mni modo vult proximo suo inferre, quod sibi à proximo inferri damnatum non tolerat, vult, ut omnes alij illa, quæ possidet, intacta relinquant; ipse autem, quæ alij possident, invadit. Quis igitur satis explicet, quot & quanta dissidia ac discordias nullo non die isthæc ordinis perturbatio generet; quantum isthæc cupiditate Divina ac humana jura perturbentur? fit hac cupiditate, ut aurum Dei loco habeatur, ametur ac colatur, eique obediatur plus, quam ipsi Creatori. Hæc integrarum familiarum pacem evertit; Quietem Regnis, toti Universo concordiam tollit. *Remota Justitia quid sunt Regna, nisi publica latrocinia?* Quapropter quâ ratione poterat Deus, recti ordinis amantissimus, perturbationem hanc sine remedio permittere? non poterat; atque ideo postquam præceptum de non furando dedit, statim subjecit alteram ejusdem præcepti partem, quâ voluit ab alia restitui: quasi dicat; si quando pulcherrimum hunc ordinem interverteritis, res suo loco confestim reponite: *reddite, quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ sunt Dei, Deo.* Ostendite ac demonstrate, quodd Dominum me agnoscat restituyendo, si Dominum me negastis auferendo. Vinculum illud charitatis redintegrate quod abruptistis, cum proximo vestro eam injuriam intulistis; quam ab illo æquo animo non sustinissetis. *Rom. 13. Reddito omnibus debita.* Ecce igitur primum motivum Legis, cum restitutionem præcipit, Amorem boni Ordinis; qui Deo aded semper cordi fuit;

Exod.
20.Tob. 4.
16.
Luc. 6. 1.S. Aug.
l. 4. de
Civ. 6. 4.Rom. 13.
7.

fuit, ut in omni suo opere mirabiliter eum demonstraret ac palam faceret ;

Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.*

10

IV. Alterum Legis hujus motivum est Amor, quo Deus in homines fertur. Facit hic, ut Deus quasi militarem custodiam ad omnes nostras possessiones ponat, ut ne quis eas invadat. Cùm Generalis militiæ Præfectus domui cuicunque tandem, securitatem pollicetur, vè militi, qui temerario ausu eam spoliare non veretur. Deus igitur sua autoritate, ipsemet se bonorum proximi nostri custodem constituit, ac severissimè vetuit, ne quis rem alienam, ut suam usurperet. Et videte, quàm sollicitè id fecerit! Ex decem præceptis, quibus DEUS voluntatem & beneplacitum suum manifestavit, solummodò tria statuit, quibus obligationem divino Nomini suo debitam nobis proposuit; omnia autem reliqua septem in favorem proximi, quibus illi graves esse prohiberemur, tulit; ad eò comoda nostra cordi sibi habet. Demonstrat certè, quodam modo nostra se suis præferre: siquidem attentius quasi nostris invigilare utilitatibus videtur, quàm suo cultui, licèt Divino. Quod si postmodum Leges istæ, tam amabiles, contemptui habeantur, ad eò ut non obstante divina prohibitione manifesta, Proximus bonorum suorum interitum quoddam patiat, subjungit Deus alterum quoddam præceptum, quasi ad fulciendum, & denuo erigendum priùs; vultque, ut damnum resarciatur, ac proximus in eum possessio-

num suarum statum restituetur, ex quo injustè est turbatus. Ita planè expertus facit belli Dux, qui propugnaculo gemino locum magni momenti cingit, ut, cùm primum ab hoste fuerit expugnatum; alterum ejusdem impetus retardet ac infringat.

V. Quapropter quis unquam credet, quòd Lex tam rationabilis, stabilita in amore, quo Deus æquitatem prosequitur, fundata in amore, quo erga hominem afficitur, in gratiam Avaritiæ sit immutanda? nequam id fiet, sperari non potest unquam, nulla ratione. Illa ipsa iniqua lucra auribus possidentium nunquam non acclamant; *Redde quod debes.* Redde, redde; nec modus est, quo ad silendum componantur. Ab. Sur. 2. *Ann.* tulit Sancto Medardo quis bovem, ad cujus collum nola appensa erat, ut mos fert. Sequebatur furem bestia ad usque stabulum; hoc ubi ingressa est, nola sine cessatione personabat, ita ut ingruente nocte Nequam prodi metuens continuo illo sono, fœno noiam farciret. Sed quis crederet? nola sonare, ut ante, petrexit, unde eam collo bovis avulsam in terram deposuit, sed & humi non quievit sonorum æs. Ergo in arcam reclusit; at nec in arca sono edendo cessavit campanula. Qua re fur attonitus bovem ad vtrum Sanctum reduxit, & nola illico conticuit. Imaginemini vobis igitur omnem rem injustè à quocunque partem hujusmodi sonum edere, qui, si auribus corpori non percipiatur, in animi certè auribus altum sonabit;

&

& quidquid egeritis, alius modum tam fastidiosum sonum sopiendi non superest, quàm ablatorum integra Restitutio; minus, quàm ablatum sit, Deus non admittit. Indulgentiæ promulgentur, Jubilæa indicantur, Gratiæ ac favores alij concedantur: permittet quidem Deus Sacerdotum manibus eam facultatem, ut Sacratissimi Sanguinis sui thesauros disperdiant, arbitros illos faciet suarum mercium preciosissimarum, plenipotentarios Judices constituet, qui cum peccatoribus ædera paciscantur; & injurias sibi illatas remittant! damna tamen proximo illata, aut satisfactionem saltem, quam pro his proximus potest exigere, eorum manibus non committit. Verbo, ait S. Thomas, penes Sacerdotem non est arbitrium in satisfactionem homini præstandam, cum non sit vicarius Proximi, sed solius Dei: & sic si Deo certam quandam pecuniariam summam voto promissistis, Sacerdos hac vos promissione poterit liberare, aut omnino dispensando, aut in opus minus grave commutando, at cum ejuscemodi summam Proximo vestro debetis, nulla Sacerdoti in hanc remittendam potestas est; oportet reddere: *redde quod debes*. Imò ipsa mors, quæ strictissimum Matrimonij vinculum tollit, tantæ virtutis non est, ut etiam hoc alterum Restitutionis valeat abrumperet. Unde si quis vestrum moreretur, & postmodum ob Cælitis cujusdam merita, ad vitam denuo revocaretur, non obligaretur, porro conjugem, cui prius Matrimonio junctus erat, retinere, cum Matrimonij vin-

culum non nisi ad usque mortem obliget; teneretur nihilominus tua debita expungere, cum vinculum restitutionis sit insolubile ac inextricabile, & fortius etiam, quàm ut mortis ipsius brachia illi rumpendo sufficiant. Considerate igitur, quibus vinculis animam vestram constringatis, cum aliena bona iniquè attrectatis. In tali vos necessitate constituitis, ut aut restituere, aut æternum perire necesse sit: ita ut ab hac necessitate nemo vos possit eximere, præter unam restituendi impotentiam, quo casu per se laqueus rumpitur, quin alius quispiam manum admoveat. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*: Aut ut dicam melius, hoc casu laqueus non rumpitur, sed laxatur: siquidem vos liberos dimittit, quamdiu hæc impotentia manet, non ultra; hæc enim ubi cessaverit, redit inevitabilis necessitas aut Restitutionis faciendæ, aut subeundæ damnationis. Quot & quantacumque salutis media arripueritis, labores exhausseritis, absque Restitutione actum agitis. Ad cuius rei veritatem melius percipiendam, observare vos velim, quomodo absque Restitutione præcipua duo salutis remedia, Oratio & SS. Sacramenta in irritum cadant.

VI. Hominem ante oculos mentis vestræ statuite, qui rem alienam absque restituendi voluntate possideat. Etiam cum integros dies fundendis precibus impenderit, nisi ad hunc ipsam finem orationes suas dirigat, ut scilicet, animi robur, aut restituendi facultatem exoret, non nisi verba in

Rom. 7.
2.Ps. 225.
7.S. Thom.
4. dist.
15. q. 1.
4. s.

ventum sparger. *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam:* ait Dominus: oburdescam ad preces vestras ut ut continuas & accumulatas. Et unde ô Domine tanta tua indignatio? Ecce ratione: *Manus enim vestra sanguine plene sunt,* hoc est, plenæ iniustitiis, plenæ oppressionibus, plenæ Proximorum vestrorum sudoribus & angustis; uti ex ipsis Prophetæ verbis exultur, quibus modum præscribit, quo preces possint efficaces reddi. Et heu! quot reperuntur, qui non modo manus, sed omnes suas vestes hoc Pauperum sanguine plenas habent, dum infimæ conditionis homines ultra jus premunt, aut ipsi, qui servant, qui laborant, debitam mercedem retinent: *Panis egentium vita pauperum est:* ait Ecclesiasticus, utpote qui aliud non habent, nisi quod suis sudoribus luerantur. Qui ergo hoc pane pauperem defraudat, quem esse arbitramini? Reus est sanguinis: *Qui defraudat illum, homo sanguinis est: cum ab homicida non differat: qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Si quis ergo huiusmodi homo manus suas ad caelum levat, sanguine inquinatas, non minus pretioso, quam ille sit, qui venas implet, quid putatis, à Deo obtinebit? an non potius illum ad vindictam contra se irritabit? *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Qui aures suas obturat, ne legem tam rationabilem, quæ cuilibet, quod suum est, dare præcipit, audiat, preces suas tali obturatione reddit execrabiles, cum Deo

quasi suggerat, ne Misericordiam exhibeat; qui Justitiam non observat. *Si enim iudicium sine misericordia, S. An- dia fiet illi, qui non fecit misericordiam, Ier. quale iudicium fiet illi, qui fecerit & rapinam?*

VII. Alterum medium ad salutem efficacissimum sunt SS. Sacramenta; peculiariter illud Pœnitentiæ, quod est lavacrum nunquam non apertum ad animas sordibus purgandas. *Fons Zach. patens domui Jacob in ablutionem Pec- 13. 1. catoris.* Fontem istum vitæ ille ipse met inficit veneno, qui res aliorum detinet injustè; Hoc enim, ait S. Augustinus, non est egere Pœnitentiæ, sed illam simulare, & sibi ipsi imponere: *Si res, propter quam peccatum est, reddi potest, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Ratio est manifesta, quia qui, cum potest, non restituit, pluris remillam, quam Deum facit; atque adeò non meretur ab hoc veniam impetrare: nec dici potest verè à peccato abhorere, qui actu illud committit contra legem altis vocibus acclamantem: *Redde quod possides non tuum.* Magna certe infelicitas est, quando miser quispiam peccator absque Confessione diem obit. At an non major infelicitas vobis videtur, quando Peccator culpas suas confiteratur, & nihilominus ob Avaritiæ suæ vitium Confessionis factæ gratiâ ac beneficio non gaudet? Manum tollit Sacerdos, ignarus pessimi statûs, in qua versatur Confitens, & voce, quæ totum Infernum valeat in fugam agere attonitum, prorsus misericordiam dicit: *Ego te absolvo*

absolvo. Et tamen, pro eo, quod in quo rei alienæ usurpatori catena diffringatur, illæ geminantur: siquidem Deus aliam è throno Majestatis suæ sententiam pronunciat, ac imperat ministris: *Ligatis manibus & pedibus projicete eum in tenebras exteriores.* Quid tunc proderit misero, Confessarium reperisse genio suo accommodatum? aut rebus, aliter, quam se haberent propositis, deceptum? Modicum ac breve lucrum in immenso & infinito supplicio, quis aliquid expiet, luet. Remedium unum unicum erat, eo tempore Restitutionem parare, quo fieri poterat, & quando illa medium erat ad salutem necessarium: *Cum conservare iustitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id, quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* Manet itaque, aut restituere, aut æternum perire. Ita Justitia ex suo tribunali, à quo ad aliud non est appellatio, pronunciat, & ita etiam ex suo clamat Charitas, & ipsa læsa ab eo, qui rem alienam retinet.

VIII. Quid igitur vobis videtur, de prima hac, quam dixi, impossibilitate? Fieri nullâ ratione potest, ut salvus sit, qui restituere decrevit omne damnum proximo illatum resarciendo. An non voluntariè tenacissimo se laqueo induit, quisquis rebus non suis locupletatur? *Involuta sunt semite gressuum eorum, ait Job, ambulabunt in vacuum* (si aliâ viâ, quam qua intrârunt; exire ex illis angustiis cogitant) *& peribunt: peribunt, ne injusta sua lucra ipsis pereant.*

II.

IX. Ita omnino est, Auditores, dicetis ipsi; sed qua ratione aliquid sublatum est, eadem restitui potest; quod est, eadem viâ laquei exire, quâ quis in eum se induit. Non est dubium, quin Cacodæmon hac stulta spe Avaros multos alliciat, eisque persuadeat, ut modò rapiant, fore, ut postmodum rapta restituant. Verùm hoc perinde est, ac si quis Volucris consilium suggerat, implicet se tantùm rebus, spe postmodum illa rumpèdi; cum tanto magis expediat, nunquam se ipsis intricasse. Avertat Deus, ne unquam in hos laqueos incidatis, cum mihi longè difficillimam, & ut ajunt, moraliter impossibile videatur, ipsis porro evolvi. Quam difficultatem ut manifestius intelligatis, oportet prius Avaritiæ naturam penitus introspexisse secundùm suam, ut vocamus, principia intrinseca.

X. Avaritia, D. Thoma teste, vitium est, quod quasi medium est inter peccata merè spiritualia & merè carnalia. Ratione sui objecti, locum habet inter peccata carnalia; ratione delectationis autem, inter spiritualia censeri potest. Unde juxta hunc modum loquendi aliquid de affectionibus brutalibus, & aliquid de diabolicis participat, atque ideo mixtum aliquod maximi roboris constituit. Quam, quæso ob causam tantâ vi fulmen pollet? an non ideo, quod ignem terramque velut sinu claudat? Ab igne vim illam ingentem ac velut furorem, à terra pondus ad feriendum acci-

accipit: id ipsum immoderate habendi appetentia accidit, in uno quasi mixto plurium adversantium vitorum naturam colligit, unde, ut diximus, incredibilem profus vim ac impetum acquirit.

XI. Præterea aliæ affectiones unum tantum bonum particulare pollicentur. Ira delectationem ex vindicta promittit; Invidia ex Victoria, Ambitio ex applausu famæ; par est ceterorum vitorum ratio. At divitiarum amor simul & semel omnia bona, & inde promanantia gaudia adpromittit; cum *Pecunia omnia obediunt*. Et ideo Opes apprehensione hominum non bonum quoddam particulare sunt, sed universalissimum, quod omnia quasi in faciem colligit, si non actu, saltem virtute: *Denario utimur, quasi fidejussore ad omnia habenda*; ait Philosophus.

Ecll.
10. 19.

5. *Eib.*

XII. Deinde bona illa, quæ ab aliis Passionibus proponuntur, ferme amantur à nobis quasi pro nobis, & respectu nostri. Pro se amat voluptatem Luxuriosus, fastum Superbus, Potator vinum, Helluo dapes; at cum Avaritia non ita res habet. Pecunias, quas Avaritia promittit; avarus sibi amat, & uxori suæ, & liberis, & agnatis, ac toti familiæ, & sic tot quasi cordibus amantur, ac tot cupiditatibus, quor fines sunt, propter quos amantur,

XIII. Denique objectum aliorum vitorum facilius mutatur, sed Avaritia idem semper objectum habet. Non moriuntur Possessiones (quemadmodum femina à libidinoso amata moritur) non moriuntur opes: saltem in

scriniis hærent diutius, quam nos vivamus: & ideo Avaritiæ objectum semper perstat, dum vivimus, imò cum jam in cineres redacti sumus; amamus enim, ut ijs hæredes nostri gaudeant, qui nondum nati sunt, quæ nobis mortuis usui potè esse non possunt.

XIV. O potens igitur, & propè invicta Avaritiæ Passio! *insatiabilis oculus Cupidi in parte iniquitatis; non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam*. Et re ipsa videtur, quomodo nullo non die omnis alterius amoris vis ac robor amori cedat pecuniarum. Ita naturæ conveniens est, ut duo fratres ejusdem inter se sint genij, sicut eidem est proprium, ut inter se oculus oculo, auris auri, manus manui sint similes. Qui proinde ab extraneo majorè, quam à fratre animorum consensionè speraret, idem facere videretur, quod qui sibi persuaderet, melius ac commodius ligneo se, quam carneo pede incessurum. Certè illa sanguinis communitio, illa in eodem ventre communis habitatio, communis fors nascendi, educatio communis, communis vitæ conditio, opes, societas communis, tam arcto fratres vinculo colligare deberet, ut, qui videret eos inter se discordes; prodigium immanissimum videre se credere deberet. Sed hæc prodigia quotidiana sunt, quæ Avaritia pessima sapius, quam ipsi vellemus, in lucem profert: unde tribunalia non solent contumacioribus agitari litibus, quam quæ inter fratres oriuntur. Ex eadem rupe duo quandoque flumina nascun-

Ecll.
14. 26

nascuntur, & vix nata ab invicem se
junguntur, & quanto longius manant,
tanto ab invicem magis discedunt. Id
quod videre est in Tigri & Euphrate
maximis Mund. fluminibus, quæ vix
in ipsdem Amentæ montibus orta, il-
lico in manibus à se intervallis fece-
dunt, nec unquam amplius conveni-
unt. Idem faciunt quotidie Fratres
etiam Christiani, qui si non illico,
cum nascuntur, sibi adversantur, in-
de fit, quod nondum nōrint, quid
sibi possidere, & habere proprium.
Certe un vix nato suo Patens defun-
gitur: cum subito tota quasi domus
sua deque vertitur: quilibet suum ab
alieno studet dignoscere, quilibet in-
juriam sibi fieri queritur: fratres sunt
& inimici, & ipse sanguis, qui ambo-
rum nutrimentum esse deberet, in
alimentum vertitur pertinacissimi o-
dij. Quia, ut paucis quàm plurima
dicamus, cum Tertulliano, primus
cuilibet frater est lucrum & commo-
da, quòdque quis existimat suã præ-
ceteris Interesse, *Nescit propinquitatis
iura cupiditas, sed propria utilitas;
hæc frater est.* Illud porro, quod de
fratribus dicitur, etiam de Filijs ad-
versum Parentes, & Parentibus ad-
versum Filios dici potest; inter quos
æterna odia & discordiæ intercedunt
non alio ex capite, quàm insatiabil-
habendi cupiditate, quæ plus apud
homines potest, quàm quævis agna-
tio & sanguinis necessitudo. *Homi-
nes magis cognati sunt pecunie, quàm
corporum.*

XV. Cum hac igitur bellua depu-
gnat, qui ad restitutionem obligatur.
R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

Vincere debet Passionem tam poten-
tem, quæ, ut ex dictis patet, optimo
jure serpens alatus dici potest; ece-
nim per terram reptat vitijs carnali-
bus; in aëra se levat vitijs diaboli-
cis. Passio est, quæ verecundiam
non excitat, sed vanam gloriam, ac
Prudentiæ se larvâ tegit. Passio est,
quæ primis statim annis incipit; qui-
bus Parentes animis Filiorum ma-
gnam quandam bonorum terreno-
rum æstimationem instillant, appel-
lando illos beatos, qui plurimis ab-
undant; miserabiles contra, quia eo-
rundem penuriam patiuntur. Pas-
sio est, quæ semper cum annis cres-
cit, imò cum ipsis bonis; cum, ut
ait Aristoteles, etiamsi quisque pos-
sit credere, satis sibi virtutis, fidel,
auctoritatis & apud alios benevolen-
tiæ esse, nullus omnino sit, qui facul-
tatum & bonorum se satis possidere
autumat. Passio denique est, quæ
ab inferno plurimum fovetur; utpo-
te quæ magnam Animarum messem
Orco debitam colligit. Sanctus qui-
dam Sacerdos duplici & gradus sui &
Sanctitatis robore Dæmonem aggressus
est, ut per os Energumeni sibi ma-
nifestaret; quis esset? Hic imperio
constrictus, Tres sumus, respondit,
qui hominem hunc infestamus. Pri-
mus nostrum ex officio suo os oclu-
dit, illudque officium suum exercet
cum raptoribus ac possessoribus rei
alienæ, ita ut, ne pro furibus ha-
beantur, pudore præpediti crimen
suum Confessario non manifestent.
Secundi officium est, cor ocludere,
ut, etiam cum scelus suum in Con-
fessio-

*l. 7. Pon-
lit.*

*Collec.
dist. 9.
Exempli
38.*

Ccc

fessio-

fessione aperuerint, non doleant dolore requisito. Tertij officium est manum claudere, ita ut cum & crimen confessi fuerint, & ex animo de testati, nunquam tamen à se obtineant rerum iniquè ablatarum Restitutionem. O quot inter Christianos hujuscemodi oblecti sunt ac Energumeni! qui ubi prima duo obstacula superavère, quibus DEI gratiam à se longè arcebant, ultimum tamen nunquam pervincunt verà & efficaci Restitutione. Venti, qui è terrâ oriuntur, tam frequentes non sunt, ac ij, qui ex plaudibus assurgunt; sunt tamen constantiores ac morâ grassantur longiore. Ita planè accidit in nostro casu, ex paludibus sensuum ac libidinalis, tentationes longè frequentiores exsurgunt, & forsan etiam magis communes; non ita tamen sunt contumaces, ut illi turbines, qui ex profundo Avaritiæ sinu proveniunt. Experientiam testem appello: *Non facile de Avaritiâ triumphat, de quo semel Avaritia triumphavit.* Negotiari cum cupiditate, & iniquis quæstibus conscientiam non gravare, res est difficillima. *Qui festinat dissari, non evit innocens;* ferè ac qui fame corripitur, aviditate se Ingurgitandi parùm ad ciborum, quos ingerit, delectum attendit; parùm etiam cibos ingestos mandit: sic ex innumeris, qui nlmia lucri aviditate illecti negotiantur, quàm paucos reperire est, qui malè parva reddant, & cibum illum noxium, quo animus oneratur, revomant! & tamen tot injustitiæ nunquam non in Tri-

bunalibus commissæ manifesto indicio sunt, quòd nullibi magis exulet æquitas, quàm ubi omnium maxime obtineri deberet. Tot lites, quas movit Avaritia, Potentia defendit, Vindictæ in annos & annos protrahit, injustè inferioris conditionis homines opprimunt, & muneribus alteram ad se Justitiæ lancem inclinant, quæ in eam magis partem propender, ex qua plus recipit; tot, inquam, lites numerabit; at quot contrà Restitutiones? Refert S. Augustinus, quòd cum Mediolani moraretur, pauperulus quidam crumenam ducentis argenteis nummis refertam invenerit, statimque ad diversa urbis loca schedam affixerit, quo notum faciebat, dictos se nummos reperisse. Parum omnino moræ intercessit, cum qui amisit, in inventoris notitiam pervenit, & datis certis indicijs compertus est nummorum Dominus, unde & summâ fide eosdem recepit. Mox autem de inventâ pecuniâ lætus viginti nummos crumenâ exemit, & pauperi honorarij vice obtulit. Renuit eos accipere Pauper, affirmans, nullam se ejus facti mercedem velle, ad quod religio & conscientia obligarent. Cui alter: saltem decem accipe, quos tibi dono etiam non debitos. Sed & hos virorum optimus recusavit. Tunc velut irâ percitus Dominus crumenam in terram abjecit, cum dicto: si de meo nihil accipere vis, scias, nihil me amisisse: atque ita discessit. Quare coactus pauper aliquid deferre Domini humanitati & beneficentiæ, accepit oblatos decem, moxque ad

Bacon.
Hist.
Vent.

Petra
Bloss.
Serm 14.
Prov.
28. 20.

Hom. 19.
de Verb.
Apost.
10.

ad eos Inter alios inopes distribuendos se contulit. *Quale certamen fratres mei!* Totus Mundus vix erat dignum tam insigni spectaculo Theatrum, cujus solus DEUS dignus spectator erat. *Theatrum Mundus, spectator DEUS.* Sed ubi terrarum sunt, qui quandoque renovent similem conflictum in opprobrium & contemptum Avaritiae? Vix reperitur aliquid, illico absconditur, & pro eo, quod rei perditæ Dominus anxie inquitur, timetur, ne inventiatur. Et sic videtis, quod quod magis obligationes Restitutions faciendæ abundant, tanto rariores illi sunt, qui promptâ manu eas velint adimplere.

XVI. Inprimis dicunt: *Non possum*: sed hoc non possum idem significat, ac: hoc mihi durum est, atque difficile: aliud quid lucrari cupio, etiam alienæ rei adminiculo. Ex illis, quos DEUS peculiari odio prosequitur, unus est Dives mendax: *Divitem mendacem*: Hujusmodi Dives mendax est, qui dicit: *non possum*: sed mentitur; non vult. *Si dixeris, viros non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit.* Si ageretur de inventiendâ ratione Passioni alicui suæ obsecundandi: de promovendo lætocom amicis convivio; de vindicandâ injuriâ, majorem acceptâ reddendo; præstò statim essent, quæ requiruntur omnia; & nemo diceret: *Non possum.* Itē tempore hyemali ad fontem congelatum: disceris, aquâ illum carere. Sed quàm fallimini! *expectate*, dum Austri spirat, cum

aquam videbitis abundantissimam. Sic cum Passio quædam exarserit, subito liquefcit, quod crudelitas congelârat. Et verò res ipsa loquitur, quod quis ferne est ditior, hoc esse in expungendis nominibus tardiozem. Capræ cum macræ sunt, sunt etiam fecundæ; & quod magis pinguescunt, ad pariendum minus habiles evadunt. *Plin. l. 8. c. 50.*

XVII. Præterea qui, tam secum ipsis humani, excusationem hanc, *non possum*, tanquam bonam & sufficientem admittunt, quare eandem in alijs non probant? Pauper ille, qui ad satisfaciendum contractis nominibus compellitur, id ipsum dicit, *non possum*, & majori quidem jure ac ratione, nec ramen auditur ut valida, sed cum hac præbere non potest, emungitur sanguis: Lictores in tugurium immittuntur, spoliatur, ut pignoris loco aliquid substituat; vix tantum ei straminis relinquitur, cui dormiturus incubet. An non hoc est bilancem Iniquam manu tenere, quam Deus aded detestatur? *Scatera dolosa Prov. abominatio est apud Deum.* Cum scilicet debita vestra tam negligenter expungitis, ea autem, quæ vobis debentur, tam severè exigitis. *Pondus aequum voluntas ejus.* Si quodvis leve incommodum ad Restitutionem licitè differendam sufficeret, nunquam illud tempus adveniret, quo restituere velletis, cum semper vobis molestum accidat, Restituere. Sed incommodum tale esse oportet ac tantum, quod notabiliter Creditoris incommodum excedat, aded ut secundum

Prov.
24. 12.

Lessius
de Inst.
l. 2. c. 16.
dubi I.
n. 21.

dùm rectam rationem Creditor in tali casu dilationem, si peteretur, prudenter negare non posset.

XVIII. Fingite porrò, unum quempiam cognitâ hac restituendi obligatione Confessario omnino polliceri Restitutionem! viam autem, quâ pollicitationem suam executioni mandet, nunquam ingredi. Circinus uno pede terræ infixus hæret, altero, quò vultis, movetur. Ita hi, cum non statim jubentur restituere, difficultatem non habent in promittendâ Restitutione in futurum quantam vultis; quia futurum, tanquam quid pectum molestiam ijs nullam creat; præsens autem, ceu vivum, longè maximam. Erit non nemo, qui ab annis compluribus nulli non Confessario Restitutionem adpromittat, quasi jam jam faciendam, quam tamen nunquam exequetur. O fructum pessimum Pœnitentiæ, qui nunquam ad maturitatem pertingit! Multorum opinio est, naturam matribus nullum certum patiendi tempus determinâsse: unde etiam Romani legitimam Matris illius prolem judicâunt, quæ mense primùm decimo tertio pe-

Plin. l. 7. c. 5. V. Sennert. l. 4. p. 2. de Part. tard. perit: Quoniam nullum certum tempus patiendi statutum videretur. Videtur ejusmodi opinio apud hos dilatores invaluisse; nisi quod eorum partus non tantum aliquot sint mensium, sed etiam annorum. Sæpe post matrem mortuam nascuntur; & cum prius in lucem edi oportet, inexplicabili viscerum dolore ab ijs quasi avellendi sunt, ut nascantur. Ceterum res prorsus mirabilis est, vide-

re tot homines, rebus alienis graves, semper parturire, dum identidem Confessariis spondent, se redduros, quod suum non est, & hoc quanto citius: interim pariunt nunquam, propterea quòd promissa præstent nunquam. *Hac est maxima mea cura, quâ affligor, (ajunt Confessario) an credi Pater, quòd de faciendâ restitutione non cogitem? certo restituam, sanctè promitto.* At, si Confessarius sumptis animis non respondeat d' serè; ite prius, & Justitiæ debito restituendo satisfacite; tum redite ànoxis absolvendi: non est periculum, quòd unquam præstent, quòd promiserunt: morientur parturientes etiamnum, licet integrum seculum superviverent: quia Avaritia, quæ omne voluntati robur adimit, non sinit, ut unquam solutio pridem maturâ ab ijs extorqueri possit.

XIX. Verum quidem est, præter Avaritiam in injustâ hac dilatione, magnam etiam partem, Ignorantiam accedere: credunt enim, quòd ad satisfaciendum legi Divinæ, sufficiat, voluntatem restituendi habere, quandoque demum id fiat; id quod sanè haudquaquam sufficit. Nams *Them.* præceptum Restitutionis partim affirmativum, partim negativum est. Partim dicit: *redde*; partim dicit: *non retine*: Unde non solum obligat ad restituendum, sed etiam ad restituendum statim. Unde illa ipsa retentio rei alienæ injusta, etiam si vera habeatur inventio reddendi, est velut iterata rei ablatio: *Non multum interest*, clamant SS. Canones, præ-
sero

Conc. Later. sub Inn. ill. 639.
Levit. 19. 13.
Deut. 24. 14.

seruim quoad periculum animæ deime re iniuste; ac inuadere alienum. Non solum dicit Deus, ut restituatis, sed insuper, ut, cum reddere debes ad vesperum, non differas usque mane. *Non morabitur opus mercenarij tui a pube usque mane: & alibi: eadem die reddes pretium laboris sui.* Unde sicut qui carbonem accensum in volâ manû tenet, non satis habet dicere: decrevi illum abjicere: sed necesse habet, eum illico à se abjicere, cum aliàs carbo magis urat, ac plagam faciat laculentiorē. Ita propositum Restitutionis non sufficit, sed quod malè possides, actu restituas necesse est, quàm primùm, moraliter loquendo, potes; alioquin semper peccatum peccato cumulabis differens, tunc saltem, quando opportuna restituendi occasio se offert, & negligitur. Ferae omnes certum magnitudinis terminum habent, solo Crocodilo excepto; hic enim crescit, dum vivit. Similis differentia inter alia vitia & Avaritiam intercedit. Homicida, exempli gratiâ, ubi gladium vaginâ reposuit, finem sceleris suo imponit. Luxuriosus crimen finit, cum nefandum opus consummavit; & sic loquendo de peccatis à Js omnibus, quæ dum Confessione non expiantur, non est dubium, quin vivant vigèantque in Auctoribus suis, non tamen crescant. In furto aliter se res habet; hoc enim omni horâ crescit, cum fur etiam tunc, quando manus tenet quietas, furati perdat, quamdiu rem furto ablatam iniuste retinet. Verbo: Retentio est

peccatum continuum, & non interruptum; est flumen peccatorum, quæ sicut unda undam trudit, se invicem consequuntur: est jugis confectus contra Legem DEI, quin unquam arma ponantur; & in virtute continuatæ hujus Injustitiæ (sicut DEUS dicitur, omni momento nos creare, propterea quòd omni momento nos conservet) licet etiam dici potest, quòd qui aliena Domino suo non restituit, omni momento auferat, quia omni momento ablata retinet.

XX. Verùm quid de illis dicemus, qui, cum morituri sunt, volunt restituere? quasi verò aliâ ratione decreta sua maturare non possint, quàm sorba, quibus idem est maturescere & putrescere. Dum sani sunt, instar Gryphis iniqua lucra unguibus tenent: eripi illa non possunt, nisi cum mors falcem suâ ungues rescindit. Quanta hæc insania, si fortè quis vestrum ex eorum est numero, quibusmodi est animo? Nihil dicamus, quòd mors subitanea vos possit obruere. Omittamus, quòd hæredes, quæ à vobis constituta sunt, non exequantur. Omnia illa, & adhuc plura concedamus, quæ destinatione vestrà præcipitis: quid deinde? Si interim ipsi potestis restituere, nec restituitis, pro eo, quòd animam vestram debitorum vinculis exsolvatis, magnificis vestris promissis, sed primùm de futuro, quotidie eam magis illigatis. *Si res ablata reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Pœnitentia vestra pœnitentia quædam scenica est, quæ De-

Ccc 3

mozi-

monibus ad spectandum convenientibus risum movet, & Confessio vestra Confessio personata est, mendax ac fallax, quæ non solum Deum non placat, sed magis provocat ad indignationem. Magnâ nimirum laude dignum est, à devorandis pauperibus abstinere, quando dentes vobis exciderunt, quibus eorum substantias arrodatis! Ipsæ Eleemosynæ vituperationi non carent, quæ ad ultimum differuntur, non ut Eleemosynæ, sed ut eò usque dilatæ. Unde S. Basilii pridem ad eos, qui dum viverent, Eleemosynas largiri mittebant, ut morientes largirentur: *Heu miser! tunc liberalis cum hominibus eris, cum amplius inter homines non agos.* Judicate jam, an eorum restitutiones laudem mereantur. Zachæus serio pœnitens non dixit: *Si quid aliquem defraudavi, reddam quadruplum; sed reddo: & ideo statim etiam salutem obtinuit; Hodie huic domui salus à DEO facta est.*

*Item in
Dico.*

*Luc. 19.
2.*

XXI. Et tamen, quantum ab hoc discrepant nonnulli? quia si quandoque restitunt, consideremus tantisper, an idè omnes isti injustorum lucrorum laqueis se expediant. In primis plerique eorum mare imitantur; quod ubi integras naves absorpsit, non nisi tabulas, easque laceras ac contractas in litus eiecit. Ita hi, ubi complures familias perdidit, communitates exhaurerunt, Ecclesias spoliaverunt, reliquijs injusti lucri debitum suum expiare contendunt, & Confessarium inquirunt, qui in hujusmodi compositione cum ijs con-

veniat: eòque invento in animo se securos arbitrantur. De Crocodilo refertur, quòd, postquam hominem devoravit, tanquam mortuum se in sabulo extendat hiantè ore, ac aperto guttate: mox advolare dicunt aviculam, quæ reliquias intra dentes etiamnum hærentes extrahat & auferat. Idem planè Confessarium non nemo facere videtur. Accidit ad ejus pedes homo in pauperes crudelis, qui ubi non unum tantum devoravit, velut doloris ac pœnitudinè Magnitudinè mortuum se prostermit. Nec modicum præstat sacer hic Judex, si, quod rei alienæ tum adhuc reliquum est, ex confitentis dentibus extraxerit: alia enim, quæ jam concoxit, jam destruxit, jam cum suis miscuit, vis nulla est, quæ à Pœnitente extorqueat, & eorum redditionem persuadeat, licet pari jure ad hæc, atque ad illa restituenda obligetur.

XXII. Nec tantum deficiunt plerumque in quantitate restitutionis, sed etiam in modo, quo fieri deberent. Fortè quandoque consistunt in eo, ut aliquid certæ Ecclesiæ, Sacello, Altaribus, aut procurandis Sacrificijs expendatur. Sed, quamvis Eleemosyna pro Restitutione est, cum rei alienæ Dominus ignoratur, aut ei hæredes non succedunt, qui ejus partes ac personam, sustineant; si tamen contra alicui innorescat, quis damnum passus sit, nulla satis Eleemosyna animam ejus solvet à contractâ obligatione, etiam cum ad imitationem Zachæi, paulò antè laudati, dimidiam bonorum suorum partem in pauperes

ero

erogarit. Id quod ex eo satis colligitis, quod ille contentus non fuerit Christo dicere: *Ecco dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus:* sed insuper clarissimis verbis adjunxit: *Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Probè siquidem nōtat, quod Eleemosyna, aut copiosa, cum Restitutione confundi non debeat. Cogitate jam, an vestra Eleemosyna, tenuis ac modica à restituendo excusare vos possit. Fuit licet copiosissima, nil proderit. Unus quispiam est, quem denudasti; alius est, quem vestis; ait S. Augustinus. Unus lætatur ob rem à te acceptam, alius tristetur ob rem à te ereptam. Quem jam putamus à Deo auditum iri? an eum, qui misericordiam inlamar in virtute Eleemosynæ, an eum, qui Justitiam? Certè obligatio Justitiæ obligationem Misericordiæ præcedit; unde illi potius audientur, qui clamant contra vos ob jacturam, quam passi sunt; quàm qui pro vobis perorant, ob beneficentiam, quam sunt experti: si tamen beneficii dici possunt, qui non sua largiuntur.

XXIII. Sed demus etiam, quod Restitutio in debitâ quantitate, & ei, cui fieri debet, fiat; ubi invenietis aliquem, qui damna resarciat ex actione illâ injuriosâ provenientia? Invaserat Vladislaus Poloniæ Rex in bona quædam Ecclesiastica, Repetundarum, ut putabat, jure. Et à conjugè sua Sanctâ Hedwige de Injustitiâ commonitus illico omnia restitui jussit. Bene est, ajebat Sancta Regina, quis autem misericulis istis

suas lacrimas reddet? *Pignora quidem reddemus Agrestibus: ceterum lacrymas illorum quis reddet?* Ego quidem contentus forem, si etiam lacrymarum ratio non haberetur, quas fundunt Operæ, dum mercedem diurni sui laboris expectant; modò damna, quæ ipsâ suâ expectatione incurrerunt, non sine omni compensatione in oblivionem veniant. Si pauper iste suo tempore mercedem accepisset, cum lucro familiæ suæ messis tempore prospexisset; sed quia ab avaro hoc Euclyone merces injustè fuit dilata, pretio duplo majori, quàm aliàs emisset, rem deinceps emat necesse est. Et tamen, quis est, qui pauperi huic familiæ non dico lacrymas, quas hæc durâ expectatione suspensa fudit, sed vera omnino damna resarciat? Avaritia ne quidem cogitare ista eos sinit: quamquam animus lumen quoddam, quo tam manifesta injustitia agnoscat, affundere studeat, fixis de industria in terram oculis ad rem non attenditur. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

XXIV. Quid igitur de tam terribili, tamque tenaci vobis laqueo videtur, quo, qui rem non suam detinet, constrictus tenetur? Terribilis imprimis est ob hoc, quod nulla prorsus sit salutis consequendæ via & ratio, nisi reddatur jure, quod sine jure ablatum est. Tenax etiam est, propter summam reddendi difficultatem, si quis unquam rei alienæ vindicatione se permisit implicari. Certè non absque gravi causâ dixit Sapiens. *Qui Prov.*

11. 6.

Lut. 19.
8.

Serm.
19. de
Verb.
Apo.
c. 4

Sic. de
Iust.
Germ.
Vn. c.
19.

congregat thesauros linguâ mendacij (hoc est, cum falsitate, cum fraudibus, ac mendacijs in Confessione prolatis ad eos, qui ad Restitutorem eum volunt obligare) *impingetur ad laqueos mortis*: si enim hi laquei mortis non sunt, quin emeunt?

*Lib. de
Pœnit.*

XXV. Nullumne igitur remedium superest pro hujusmodi Captivorum liberatâ? An cum Tertulliano hanc Divinum generationem, Animas æternis flammis destinatas compellabimus? *Divites prædamnati*. Est modus etiam hæc rumpendi vincula, si modò quis tempori ad ea rumpenda se serò accingat. Hi primum quidem remedium servit ad illa laxanda: si nimirum asuescat quis perpendere: dispendium, quod ex Restitutione provenit, aliâ ex parte plùs geminato lucro refarciri posse. Tale remedium est Eleemosyna, quæ ex proprio, non ex alieno erogatur. Hæc suprà quàm credi potest, fertilis est tam in hac vitâ, juxta Christi promissionem multiplicando bona, quæ possidentur, quàm in alterâ immensos thesauros præparando in Cælo illi, qui eos plenâ illâ charitatis beneficentiâ sibi vindicare studuit. Fides ista, usu ipso animata, ita hominem, ceterâ tenacem, immutare potest, ut & aliter, & alia cumulare laborer. Aliter quidem, si ad rem augendam largiatur, non retineat. Alia verò, si pro caducis, æternis & mansuris opibus inhiet. Atque ita cor illud, cupidum simul & tenax, tanti lucri amittendi metu, facillè summam suam capitalem credet mensæ minimè fallaci, ubi adverterit, quòd non

perdat, sed permutet in mellus, dum immenso lucro ipsum DEUM tortitur debitorem: *Quid enim esse potest dicitur homine, cuius proficitur DEUS se esse debitorem?* S. Zeno
serm. 1.
de Avar.

XXVI. Alterum remedium, quo vincula ista omnino abrumpantur, in vero desiderio animam suam æternùm servandi consistit. Amor, cum magnus est, omnem aliam affectuonem, ceu flamma major minorem, extinguit. Atque idè, si Animam eo, quo decet, amore prosequi ceperitis, haud dubè omnem injustè retinendi ea, quæ tamen aliquando reddi debent, affectum vincetis. Animo igitur serio, planèque attento hæc Christi Servatoris verba pulcherrima versate. *Quid prodest homini, si Mundum universum lucratur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Mark.
10. 16. Eoque magis, quòd non de toto Mundo agitur, sed de pugillo, ut sic loquamur, pulveris mundani; hoc est, de lucro quodam tenuissimo ac triviali, brevi tempore per mortem denuò eripiendo. Miser aliquis canis, diuidio quandoque die leporem insequitur, ut ægrè jam spiritum trahat; & cum demum eum assecutus est, ore & dentibus avelli sibi illum cernit, non alio tantæ suæ defatigationis præmio, quàm odore ex prædâ percepto. Ecce, quid Dives ex omnibus suis lucris tanto labore conquiritis tandem colligat: Vix ea congregavit, cum mors è manibus rapit omnia, & ad hæredem transfert; qui exiguo ea tempore lusibus, & pergræcationibus dissipat, ac abligurcit, quæ tantis sudori-

doribus, curis ac sollicitudinibus suere collecta. Et lucrum hoc tam miserabile condignum sit pretium, quo anima vestra vaneat? *Quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?*

XXVII. Sed & hoc non omitamus, quod bona injustè parca sepe etiam opes illas consumant, quæ iusto titulo acquisitæ fuere. Inter lanam à mortuâ pecude relectam, & eam, quæ vivæ ablata est, istud est discriminis, quod illa se ipsam consumat, tinea generando, quæ illam depascant: hæc verò se ipsa potius augeatur & crescat. Eadem differentia inter lucra injusta, & iusta intercedit. Injusta temerè ipsa consumunt; iusta aut conservantur, aut augentur. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, salvâ religione; quia facient sibi pennas quasi Aquila, & volabunt in calum:* quia cum fuerint in manu tua, alas acquirunt, avolabunt, & duplici ex capite delusum te relinquent, tum quod bonis æternis, quæ abiecasti, excidas; cum quod temporalibus, quibus tantopere inhiasti, te oporteat spoliari: O igitur infelix permuratio! Deum instar Judæ vendere, & ipso etiam pretio, quo venditus est, non potiri! præterquam quod ea ipsa lucra, si votis etiam respondeant, non lucra, sed detrimenta dicenda sunt; utpote quibus animæ salus pessum datur. Medium hæc in re nullum datur: aut restituere, aut æternum perire necessum est. Res aliena catena è ferro est, quæ non solum ligat, ut funis, sed pondere insuper suo Animam opprimit.

R. P. Segneri *Christ. Instr.* Tom. I,

XXVIII. Nescio quis Comes Ecclesiæ Metensi agros quosdam rapuit, quos post mortem suam filijs reliquit, & hi hæredibus suis, ad usque decimam generationem; Cùm Sanctus quidam Vir longam & altam vidit scalam, quâ gradatim ad infernum descendebant, injusti illi Possessores, qui quamlibet sapius à Ministris Ecclesiæ moniti, induci non poterant ad agros Ecclesiæ ablatos restituendos. En infausta familiæ hujus infelicis lucra! Sed non meliori sorte omnes illi utentur, quicumque aliena non reddent, laqueo hoc amoris rerum non suarum impliciti. *Fœnus pecuniæ funus est anima.* S. Leonis Papæ assertio est. Restituere oportet, aut æternum perire. An tonitru tam formidabile non sufficit ad meliorem vobis mentem injiciendam? Crocodilli, ut cupidissimi, quemadmodum diximus, humanæ carnis, teriti tamen vociferatione plurium, revolvunt corpora paulò antè devorata. Et erit, qui denuntiationem damnationis æternæ, damnationis inevitabilis, damnationis jamjam imminentis non extimescat, nec induci se sinat ad reddenda, quæ injustè detinet? Repeto igitur. Aut restituendum est, aut æternum pereundum. Necesse est minus, quàm bestiam aliquam, sensus habere, qui se ipsum potius totum perdere malit, quàm sua? imò, quàm perdere illud, quod non est suum; sed quod vel invito vero domino vult facere suum. *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur, Anima verò sua detrimentum patiatur?*

Ddd

DIS-

Baroni.
an 1053.
ex Epist.
B. Petri
Damiani
ad
Domi-
nic.

Serm. c.

Plin. l. 8.
c. 25.